



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio LVIII. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati
alicujus consuetudinem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

70
immò communē persuasionem fidelium, quod frequens Confessio valida & Communio sancta, sit nota prædestinationis saltem fallibilis, alterutram ex his duabus doctrinis esse damnatam credam, cum id S. Sedes declaraverit: neque enim id satis intelligo ex damnatione propositionis 56. sumptæ sicut jacet in Decreto Innocentii XI.

Hæc occurrebant consideratione digna ut statuatur sapientiores, an damnatæ doctrinæ in propositione 65. patroni fuerint illi Religiosi, quibus id imponit accusator.

PROPOSITIO LVIII.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Doctrinæ autorem citat Baunium Theol. mor. p. 1. tr. 4. q. 15. dub. 12. & Sanchium Jesuitam in select. disp. d. 9. n. 6. & multos alios Patres omnium Ordinum.

Baunius ibi docet Confessarium non habere jus interrogandi pœnitentem de consuetudine peccandi, nisi ejus rei gravem causam habeat; quo significat, illum habere jus, si habeat gravem causam, & tunc pœnitentem obligari ad fatendam consuetudinem. Non esset inconsultum, si aliquid de hac doctrina sibi sumerent quidam Confessarii hoc tempore, nisi

mis liberè interrogantes de consuetudine & aliis multis, cum id necesse non est.

De Sanchio Jesuita in selectis disputationibus redit impostura supra detecta. Inter omnes scriptores nullus est Jesuita Sanchius, qui librum suum inscripserit *Selectas disputationes*.

Mirum, si non & Thomam quemdam Hurtadum Jesuitarum hostem, eundemque non raro satis laxæ doctrinæ moralis, jubeat esse Jesuitam. Etenim scriptores varios, nomine Hurtados, habent Jesuitæ, æque ac Sanchios.

Deuisset vero accusator saltem ad propositionem hanc abstinere Jesuitis: quia cum quæstio fuerit inter Theologos satis agitata, præcipue videre fuit Jesuitas conspirantes ad asserendam obligationem fatendi consuetudinem interrogante confessario, Gabrielem Vasquez, Eman. Sà, Henriquez, Reginaldum, Dicastillo, Tamburinum, Autorem Praxis solidæ, seu Antonium à Burgundia, Matthæum Mova, atque etiam Stephanum Bauny. Alii nominentur, qui quæstionem tractarint. Sed non prætereatur Cardinalis de Lugo, qui *disp. 14. de pœnit. sect. 10.* contrariam sententiam damnat, ut quæ sit *contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesie, & contra finem hujus Sacramenti.*

Minus abs re autorem Propositionis damnatæ

natae citasset Adria. Lovan. Doct. in 4. de Sacram. confess. ubi de reditu peccatorum quaest. ultim. pag. 146. col. 4. ubi postquam impro- baverat, & refutaverat Doctrinam S. Thome de exponendis in confessione, saltem indirecte, peccatis dimissis, quantum sufficit, ut debita satisfactio imponatur, sic ipse docet: *Quamvis saepe expedit in confessione exponere peccata prius dimissa saltem in genere, ut magis humilietur confitens, & melius ei consulere possit Confessor; non obligatur ad hoc de necessitate salutis.* Censet ergo Adrianus, ne quidem ut melius ei consulere possit confessor exponendam esse consuetudinem peccati à poenitente. Coniectura fiat, quid de eo casu dicturus fuisset, quo de consuetudine interrogat confessor.

Citans denique accusator *multos alios Patres omnium ordinum* sine dubio religiosos intelligit omnium ordinum: in quo rursus prodit infirmitatem animi sui. Videre avemus illum Catalogum multorum religiosorum ex omnibus Ordinibus.

PROPOSITIO LIX.

Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum Confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis aut indulgentiae.